

Utrum increatum esse sit simpliciter potestatis infinite.

Arguitur quod non, quia increatum esse non potest effectum simpliciter in finitum producere, igitur non est simpliciter potentie infinite. Consequentia nota, quia sicut tanta potentia potest, tantum effectum ita maior maiorem et infinita infinitum, et simpliciter infinita simpliciter infinitum, et per consequens illa que non potest effectum simpliciter infinitum non est simpliciter infinita. Probatur antecedens, quia talis effectus esset perfectionis simpliciter infinite, et sic creatura a creatore non excederetur, quod est absurdum.

Ad oppositum, arguitur sic, quia increatum esse est simpliciter infinitum esse, igitur et potestatis infinite. Consequentia patet, quia ipsius potestas est idem quod suum esse, libro 1, distinctione 8. Sed antecedens patet per Atanassium, dicendum immensus pater etc., non tamen tres imensi sed unus immensus.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio est quod increatum esse est simpliciter potestatis infinite.

Probatur tripliciter.

Primo sic: increatum esse potest aliquid de non esse simpliciter ad esse producere, igitur est simpliciter potestatis infinite. Antecedens patet ex fide, quia potest aliquid [90va] creare. Consequentia nota, quia inter non esse simpliciter et esse sit infinita distantia, sequitur quod procedere ab uno ad aliud, vel deducere aliquid ab uno ad aliud est virtutis infinite, quia virtus potens super aliqua aequaliter distantia est alicuius potestatis, et potens super aliqua magis distantia est maioris, et per consequens potens super aliqua infinite distantia est infinite potestatis.

Secundo sic: increatum esse potest movere virtute propria in tempore infinito, igitur est infinite potestatis. Antecedens est notum ex fide, licet Philosophus idem posuit de facto, 8 Physicorum, et male. Sed probatur consequentia, quia omnis causa producens effectum, in virtute sui continet simul in virtute propria perfectionem omnium effectuum successive productorum. Sed tale est agens increatum, cum igitur effectus qui ab increato esse possint successive produci sint infiniti in potentia. Si motus esset infinitus, sequeretur quod sic potens illos successive producere omnium illorum perfectionem simul continet, et sic est potestatis infinite. Nec valet si dicatur quod si esset mundus duraret tempore infinito eodem modo probaretur de sole, quod esset potestatis infinite, quia sol non ageret in virtute propria ad infinitos effectus, sed in virtute primi et ideo non est simile.

Tertio sic, increatum esse quantum est de se potest producere in finita simul in virtute propria, igitur est potestatis infinite. Consequentia nota, quia ubi maior pluralitas requirit infinitam, sed posse simul plura producere requirit maiorem virtutem quam posse producere pauciora. Sed antecedens probatur, quia increatum esse ultima causa propria cum causis posterioribus potest successive producere infinita causalitas, autem et virtus omnium causarum secundarum est actualiter et eminenter in prima causa. Igitur quantum est de se posset infinita producere simul in actu, si tamen talia essent producibilia etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: aliqua est potestas que non est potestas increati esse, igitur increatum esse non est potestatis infinite. Patet antecedens, quia potestas creata creati esse non est potestas increati esse. Consequentia patet, quia sicut si esset infinita magnitudo omnes contineret magnitudines, [90rb] quia omnia occuparet, sic infinita potestas omnem finitam potestatem contineret.

Secundo sic: si Deus esset potestatis infinite, posset in qualibet parte proportionabili hore unius movere celum per unam corculationem completam, sicut nunc facit in una die naturali. Consequens falsum et patet consequentia. Sed falsitas consequentis probatur, quia si hoc posset ponatur in esse, et quero aut in tali hora erot revolutio, aut non si sic. Igitur est aliqua pars propositionabilis huius hire, et per consequens continuum, non erit in infinite divisibile, conra Philosophum, 1 Phisicorum, textu commenti 17, si non contra aliquis motus terminatur in a, sit a ultimum instans huius hore, sed non nisi ultimus motus vel pars ultime revolutionis, igitur.

Tertio sic: si conclusio sit vera, igitur increatum esse potest movere celum in instans. Consequens falsum. Probatur consequentia quia quacunque velocitate motus facti in tempore data potest tanta motus velocitas esse ab aliqua virtute finita. Igitur si a virtute facta infinita non posset esse velocitas maior quam motus facti in tempore. Sequitur quod non possit maior esse velocitas a virtute infinita quam a virtute finita, quod est falsum. Sed falsitas consequentis patet, quia tunc in eodem instant posset esse aliquod mobile in termino a quo, et in termino ad quem et in medio, et per consequens in illo instanti non recessit a termino a quo, ex quo adhuc est in illo, et si est per motum in termino ad quem necessario sequitur quod recessit a termino a quo, quia licet forte unum corpus possit esse in diversis locis, temen unum corpus potest per motum ransire de loco uno ad alium loco, nisi a primo recedar, nec potest per motum pervenire ad terminum ad quem, nisi transeat per medium. Et sic impossibile est quod aliquod corpus per motum acquirat terminum ad quem nisi perdendo terminum a quo.

Respondeo.

Ad primum, dico quod licet sit aliqua potestas quae non sit formaliter potestas increati esse, tamen nulla est que non sit in illa virtualiter et eminenter et prefectius quam in se ipsa. Nec est simile de infinitate extensiva de qua tu arguis, et de infinitate intensiva et perfectionis de qua loquitur conclusio.

Ad secundum, dico quod infinities potest Deus movere celum in qualibet hora licet in qualibet hora non possit Deus movere celum [91ra] infinicies, quia est repugnantia ex parte rei. Similiter dico quod infinire partes proportionales sunt in qualibet hora. Sed tamen partes propositionales alicuius hore non sunt infinite, quando autem est aliqua multitudo infinita sic sinchategoreu, ut sunt partes per portionabiles cuiuslibet hore, et cuiuslibet continui impossibile est quod illa multitudo actualiter nota ponatur in esse distincto, quia est repugnatia, sicut stante virtute istius propositionis Deus nin potest tot facere quin plura implicant contradictionem, quod faciat actualiter tot quot potest facere, udei dico quod impossibile est quod Deus totiens in una hora voluat celum quotien ipsum potest voluere, stante quod infinities ipsum posset voluere et non posset ipsum voluere infinities, et sic apparet quod illa interrogatio an in tali hora esse dare ultimam revolutionem in proposito non habet locum.

Ad tertium, nego consequentiam, quia implicat aliquid moveri in instanti precise. Ad probationem, concedo quod quacunque velocitate motus movetur, movetur aliquod a virtute infinita potest illud tanta velocitate moveri ab aliqua virtute finita data vel davili, quia etiam virtus infinita non potest movere nisi in tempore. Nec ex hic sequitur quod virtus finita et infinita sint equalis potentie ad movendum aliquid, quia virtus finita potest agere tantum quantum potest agere, et aliquem motum velocitare tantum quantum ipsum potest velocitare. Sed virtus infinita non potest agere tantum quantum potest agere, nec motum aliquem tantum velocitare, quin plus ipsum possit velocitare.

Secunda conclusio est quod nullum creatum esse est simpliciter potestatis infinite.

Probatum tripliciter.

Primo sic: nullum creatum esse sua potestate potest aliquid de non esse simpliciter ad esse producere. Igitur nullum tale est potestatis infinite. Consequentia nota, quia illud potest aliqua potestas, quia potestas non creata esse, et nulla tamen potestas plus vel plura potest quam potestas infinita. Antecedens patet, quia suprema species creata esse illa non potest. Igitur nec aliqua alia. Et consequentia nota, quia magis videtur de illa. Et antecedens patet, libro 2, distinctione 18, quod nullus angelus aliquam naturam valet creare.

Secundo sic: potestas cuiuslibet creata esse exceditur infinite a potestate in-creata esse. Igitur nullum creatum esse est potestatis infinite. Patet consequentia, quia si esset infinite potestatis, non esset minoris potestatis quam Deus, et sic a Dei potestate non excedetur. Sed probatur antecedens, quia si aliqua creata potestas excederetur solum finite a potestate increata, sit illa a tunc posset dari alia potentia infinita tantum excedens ipsum a quantum et Deus. Postquam Deus illam solum excedit finite, et per consequens illa esset equalis potestas cum Deo, quod est absurdum.

Tertio sic: omnis potestas creata esse potest annullari. Igitur nullum creatum esse est potestatis infinite. Consequentia nota, quia quilibet creatura tendit naturaliter ad servandum suum esse, quantum potest. Si igitur aliqua creatura esset potestatis infinite posset resistere cuilibet alteri potestati, quia a nulla potestate concluderetur et sic quando naturaliter resisteret annulationi sue a nulla potestate potest annullari. Et antecedens patet, quia sicut potestas increata esse ex nihilo, omnem creaturam produxit ad esse, sic ex esse ad nullari potest simpliciter, cum non sit maioris difficultatis destruere quam construere.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: aliquid creatum esse potest monere aliquid mobile sibi resistens per aliquod spacium in instanti et subito. Igitur tale est potestatis infinite. Patet consequentia, quia velocitas motus secundum Philosophum, 8 Physicorum, sequitur proportionem potentie moventis ad resistantiam mobilis. Nam ubi est aliquo excessu potentie moventis super resistantiam mobilis ibi est aliquo velocitas, et ubi duplus ibi dupla velocitas. Igitur ubi est velocitas infinita, ibi est virtus infinita. Se probatur antecedens, quia capio aliquod corpus sphericum opacum et sit a et aliud sphericum luminosum maius opaco, et sit illud b et ponatur b iuxta a in certa distantia in obliquo medio infinito secundum imaginationem. Tunc suppono duas propositiones probatas in scientia perspectiva ac notas experimentali. Prima quod quando corpus luminosum est maior corpore opaco, umbra causata est finita, quia latera luminis causati coincidunt in unum. Secunda, quando corpus opacum est equale vel minus corpore luminoso, tunc umbra causata est infinita. Istis suppositis pono quod b incipiat continue diminui quousque sit equale ipsi a certum [91va] est quod per totum tempus illius diminutionis augmentabitur umbra, volo cum hoc quod aliquid mobile, puta c, in principio dicti temporis in sine dicta umbra, quid semper moveatur uniformiter cum sine ipsius umbra ita quod c, semper sit ubi erit finis umbre. Tunc arguitur sic, in illo instanti in quo b est primo, equale ipsi a erit infinita umbra, et c movebatur uniformiter cum sine umbra per casum. Igitur in illo instanti c pertransivit spacium infinitum. Igitur illud primum antecedens est verum.

Secundo sic: aliquid creatum esse potest movere aliquid mobile velocitate infinita. Igitur tale est potestatis infinite. Consequentia patet, ut prius antecedens proba, quia si aliquid alterans quod potest alterare aliquid alterabile unum una hora, cuius potestas in principio

alterationis excedat precise in duplo resistantiam alterabilis, et incipiat alterare in principio istius hore. Tunc lapsa medietate hore, medietas resistantie illius alterabilis erit ablata et sic potestas alterantis in duplo plus dominabitur passum quam un principio motus. Igitur tunc erit velocitas motus maior in duplo quam fuerit in principio. Similiter etiam lapsa medietate alterius, medietatis tolletur medietas resistantie remanentis, et per consequens tunc erit motus in quadruplo velocior quam in principio. Et sic arguit de medietate illius medietatis, et sic sine statu. Igitur ante finem hore alterabitur infinita velocitate et solum adata potestate entis creati, igitur.

Tertio sic: sic aliquid creatum esse potest aliquid movere in instanti, igitur. Consequentia nota, ut prius. Sed probatur antecedens sic, capio aliquid grave in medio aeris, posito quod suscit descendere usque ad terram in una hora. Tunc si medietas totius illius resistantie, tam intrinsece quam extrinsece, esset ablata, remanere eadem virtute motiva, illud grave descenderet immedietate hora, quia medietas resistantie esset ablata. Similiter si virtus motiva duplicaretur illud grave descenderet immedietate hore. Igitur si illa duo in simul fierent, illud grave descenderet in instanti. Patet, quia primum aufert medietatem hore, et alterum alteram medietatem, igitur.

Respondeo.

Ad primum, nego antecedens. Ad probationem concedo casum, et cum dicitur quod in illo instanti in quo b, pono erit equale ipsi a causabitur umbra infinita etc. Dico tunc quod corpus opacum directe non potest causare umbram per maius spacium quam sit spacium quod corpus luminum potest illuminare. Patet, quia quando primo tali corpora sunt equalia per talem equalitatem solum obumbratur illud spacium quod primo per corpus luminum potest illuminari. Sequitur etiam quod nullum corpus opacum poterit causare infinitam umbram.

Ad illas, igitur propositiones duas perspective. Dico quod sic sunt intelligende quod quando corpus opacum est minus corpore luminoso, tunc umbra immediate, sequens corpus opacum est finita, quia per lumen corporis luminosi est terminata vel terminabilis si illud corpus luminum, tante sit virtutis quod tantum spacium possit illuminare quantum est spacium per quod non coinciderent due linee protracte a circumferentiis corporis luminosi et corporis opaci. Si autem corpus opacum sit maius vel equale, tunc umbra immediate, sequens illud corpus opacum est infinita, id est per lumen corporis luminosi non est terminata nec terminabilis, quia tunc linee protracte a circumferentiis corporis luminosi et opaci, nunquam coinciderent post corpus opacum, immo ante equaliter distarent si corpora illa essent equalia, et si corpus opacum est maius contine, post corpus opacum magis distarent, et sic apparet quando dicitur quod umbra causata est finita vel infinita, quod ibi accipitur causare valde large et proprie.

Ad secundum, nego antecedens. Ad probationem, concedo quod in casu illo infinita velocitate illud alterabile altera retur a potestate alterantis, quia continue velotius et velotius. Sed ex hoc non sequitur quod ipsum alteraret velocitate infinita, sicut nec partes proportionabiles dicte hore sunt infinite, licet infinite sint parte illius hore. Nec credo inconveniens quod aliqua virtus finita infinita velocitate continue per aliquod tempus mobile possit movere.

Ad tertium, nego antecedens. Ad probationem, concedo quod si medietas resistantie esset ablata quod moveretur in duplo velotius, similiter si virtus moventis sit duplata quod moveretur in duplo velotius, et sic immedietate temporis, et cum dicitur. Igitur si ista duo fierent insimul moveret in non tempore, nego. Sed moveretur solum in quarta parte temporis, quia solum esse

proportio in quadruplo maior quam prius. Sed si dicere contra, quia unum illorum [92ra] tollitur unam medietatem temporis, si ponatur per se sine alio. Et aliud etiam tollit medietatem si ponatur per se. Igitur si ponantur insimul cum unum non impediatur aliud, tolent totum tempus. Dico quod non sequitur, quia si unum ponatur sine alio solum duplicaretur proportio, potentie movere ad resistentiam mobilis, et ideo solum esset motus in duplo velociter, et ideo si ista duo ponantur simul solum quadruplicaretur ista proportio, et ideo solum sequitur motus in quadruplo velotior. Et sic dictum spatium solum in qua triplo minori tempore pertransibit et non in instanti ut dicebatur.

Tertia conclusio est quod probatur evidenter increatum esse simpliciter, esse potestatis infinite.

Pronatur tripliciter.

Primo sic: hoc non est evidenter probatum nec a priori, nec a posteriori, igitur. Consequentia nota, sed patet antecedens, quia non a priori, cum ipso nihil sit prius, nec a posteriori, quia cum omnis effectus sit finitus, nullus potest producere evidenter in noticiam potestatis infinite.

Secundo sic: quia si hoc possunt probari evidenter, hoc maxime esset per viam motus. Sed per viam motus non, valet evidenter probari, igitur. Maior patet ex hoc quod Philosophi non invenerunt aliam viam ad probandum. Sed minor apparet, quia per viam motus eterni solum probatur evidenter infinitas extensiva et non intensiva potestate moventis, quoniam aliter de quacumque intelligentia hoc probassent sicut de prima.

Tertio sic: non potest evidenter probari increatum esse simpliciter necesseesse. Igitur nec potestatis infinite. Antecedens fuit prima conclusio, questione 33. Sed consequentia patet quia quodlibet de quo posset ostendi infinitas potestatis, de ipso posset ostendi necessitas essendi, quia cum naturaliter se conservaret quantum posset nulla virtute posset non esse, et sic esset simpliciter necesse esse.

Contra istam conclusionem sunt tres rationes facte pro prima conclusione, ideo ad illas est respondendum.

Ad primam, dico quod non concludit evidenter, quia assumunt antecedens quod est creditum sed non evidens, scilicet quod increatum esse possit aliquid de non esse simpliciter ad esse producere, nam hoc negassent Philosophi quoniam in Philosophorum, textu commenti 33, dicitur communis conceptio philosophorum fuit quod de nihilo nihil fit.

Ad secundam [92rb] cundum, dicitur quod solum probat increatum esse potestatis infinite extensive, immo ut melius dicatur non probat illud sed supponit.

Ad tertiam, dicitur quod si aliquid probaret, probaret solum quod infinite potestatis sit increatum esse, cum infinita possit producere. Sed probaret opus esse potestatis infinite, quia non probat quod possit succedere producere infinita, licet quod possit infinita producere.

Ad argumentum, in oppositum nego antecedens, quia dico quod increatum esse potest effectum infinitum producere, si tamen ille sit producibilis.

Ad probationem, dico quod posito per possibile vel impossibile quod esset effectus aliquis infinitus, non tamen esse equalis Deo, quia Deus esset indeoendens et ille effectus esset dependens ideo et.